

Qualescunque fuerint, multi offendiculum passi sunt.

Domino Ioachimo Vadiano, affini suo charissimo clarissimoque nec non Christiano.

a) „imo“. — b) „felicissime“.

l) Vrgl. I, Register.

XI. 215.

1524 Okt. 14. J. Wirz IV, 247 Nr. 7.
408.

Simprecht Schenk¹⁾ an Vadian.

Meilen. (1524. October 14.)

Entschuldigung wegen seines Stillschweigens. Das Auftreten Wendelin Oswalds und dessen Bekämpfung.

Gratia tibi et pax per Iesum.

Optime Vadiane, oro boni consules, quod tuæ^{a)} Humanitati nullas interim grates habui nullaque ad te scripta dedi. Habeo en ego et meas occupationes. Verum licet videar desiisse meminisse tum tui, tum etiam contribulis tui Georgii Watt, dulcissimi vincularum mearum hospitis, tamen non potui non crebro cogitare de vobis. Et si nonnunquam scribere vobis licuisset, fuerat tamen impossibile scripta dirigere. Wendalinum audio insolentius agere et efferri plusplurimum. Iactat miser victoriam ante pugnam! Iactat suum sermonem evangelicum esse, qui tam ab evangelio abest, quam ignis a frigiditate. Ego (si faciendum censes) hominem aggrediar et coram secum pedem conferam, stricto divini verbi ense. At si ille lignis, fustibus armisque munitus carnalibus pugnare vellet, habemus et nos Hectorem, immo^{b)} Achillem nostrum, qui verbo omnia olim huiusmodi arma confudit. Ego me Hercle, Vadiane, veniam, si iubes; modo non sit, quam timeam, tyrannica^{c)} potestas! Malo enim vivo vocis oraculo, quam mutis litterulis rem agere! Verum ne quis me existimet Wendalinum livore et mendatio patulo reprehendisse sermone, pauculis do rationem; quam meam rationem ad te mitto, non quo rem egregie egerim (nihil enim mihi rarius oratoria institutione et vulgari, docta conscriptione); sed quo cerneres, mei me promissi rationem habuisse. Ratio incepta est, non perfecta; iccirco lectam et castigatam quamprimum remittas, oro, ut, cum finis accesserit, tuo iudicio^{d)} aut ad alios pergat, ut legatur, aut tota perpetuo pereat. Vive. Dic salve uxori tuæ, amico tuo Georgio et conthorali ceterisque christianis, maxime concionatori vestro evangelico. Habe commendatum meum Io-

annem Thuchscherer. Datum feria 6. ante Galli, in ædibus meis in Meila.

Tuus dediticius capellanus *Simpertus Schenck*.

Egregio domino doctori Vadiano, apud divum Gallum commoranti, suo integerrimo domino et in Christo frati.

a) „e“ für „æ“. — b) „ymo“. — c) „tyr“. — d) „t“ für „c“.

l) Von *Simprecht Schenk*, zuerst Caplan in Meilen, dann Prediger in Memmingen, ist nur dieses eine Schreiben an Vadian vorhanden. In lebhafterem brieflichem Verkehr stand er mit Zwingli und Thomas Blarer. Da Schenk im Februar 1525 schon als Prediger in Memmingen erwähnt und dort von der Zürcher Regierung für die Meilener reklamiert wird, muss der Brief vorher geschrieben sein. Vor das Jahr 1523 kann er nach der Lage der Dinge in St. Gallen nicht wohl gesetzt werden und da in diesem Jahre der Gallustag selbst auf einen Freitag fällt, im Jahre 1524 dagegen auf einen Sonntag, ist als Datum mit allergrösster Wahrscheinlichkeit der 14. Oktober 1524 anzunehmen. Der Brief ist in roter Tinte geschrieben. *Thuchscherer = Hans Gebentinger*.

409.

Peter Wiestius¹⁾ an Vadian.

II 210.

Reifersberg. 1524. November 12.

Wortreiche Entschuldigung seines Schreibens an den gelehrten Vadian. Berufung auf die Ermunterungen Rupert Egenstetters. Übersendung von Liedern, zum Lobe Vadians gedichtet.

Homini in Musarum gremio feliciter educato, domino doctori Ioachimo Vadiano, rei medicę expertissimo, apud S. Gallum a consiliis prudentissimis, P. Wiestius gratiam et pacem in Christo.

Ecce, Vadiane eruditissime, perfrictę frontis hominem, ecce ingenium pistillo quovis retusius, ecce tandem a literis alienissimum P. Wiestium, qui ita importunus importune ad te illiteratas scribit literas, quique te, virum naris emunctę elegantisque elegantiozem, ineptiis suis adit et amicum sese apud te commendatum notumque petit. Scio adeoque compertum habeo te rare doctrinę hominem atque hac nostra tempestate ingenio felicissimum, immo^{a)} moribus ornatissimum, consilio et prudentia gravissimum, animo tamen mansuetissimum, vultu hilarissimum, dictis salibusque iocisque ac musicis organis promptissimum; quapropter non eruditioni, sed humanitati tuę scribo, non ineptiarum mearum iudici, sed patrono, non Momo, sed Vadiano, homini horarum omnium amico candidissimo. Sed nec ad tantę doctrinę virum (ad quem ego non longe aliter, quam est ad olorem obstreperus anserculus) minimum scriptitasset, nisi me magister Rupertus ille Egenstetter, instrumentarius faber, impendio tibi notus, ita magis atque magis adhortatus fuisset mihique